DE TRIBUS CASIBUS
SECTIONIS CAESAREAE
IN CLINICO OBSTETRICIO BONNENSI INFELICI CUM EVENTU INSTITUTIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AUCTORITATE ET CONSENSU GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA LITTERARUM
UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

AD GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

RITE ASSEQUENDUM

SCRIPSIT ET PUBLICE DEFENDET

DIE XVIII. SEPTEMBRIS ANNI MDCCCXLI.

A. LAURENTIUS GOERGENS

RHENANO-BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:

IOS. SCHAEFFER, MED. ET CHIR. CAND.
I. AHRWEILER, MED. ET CHIR. DR.
P. IAC. WALDORF, MED. ET CHIR. STUD.

BONNAE,

TYPIS CAROLI & FRIDERICI KRÜGER.

VIRO ILLUSTRISSIMO

HERM. FR. KILIAN,

MED. ET CHIRURG. DOCTORI, PROFESSORI PUBL. ORD., IN UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA, MODERAT. CLINICI OBSTETRICII, PLURIUM SOCIETATT. LITTER. SODALI. ETC. ETC.

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

SCRIPTOR.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA41544719_0224

I.

1) *Mulieris, de qua agitur, somatica conditio. Porro anamnestica et antecedentia.*

Anna Maria Weber, ex oppido Linz, viginti duos annos nata, rebus angustis educata est. Adhuc infans iam patris mortem conquesta est phthisi pulmonali, qui antea semper bona valetudine fruebatur. Mater et ipsa optima valetudine semper gaudebat, viro procreavit duos infantes, gravidam nostram scilicet atque filium, qui tamen mox post partum mortuus est. Tum autem, quum virum morbo, quem dixi, amisisset, denuo in matrimonium ducta est et duos adhuc filios validos atque bene formatos et usque ad hoc tempus bona valetudine fruentes peperit. Num mater magnis cum molestiis prolem in lucem protulerit nec ne, nescit gravida, id vero contendit, arte auxiliante partus editos non esse. Gravidae nostrae in prima infantia multa incommoda fuerunt vincenda. Ob duplices, quos nominat, articulos aetatis anno demum septimo ingredi discebat. Deinde saepe laborabat aurium, imprimis sinistrae, profluvio materiae male olentis tum tumore atque ulceribus glandularum colli lymphaticarum, quorum cicatrices adhuc videri possunt, et denique iam ex primo aetatis anno pertinaci ophthalmia magna sensibilitate contra lucem excellente, a qua ante

annum unum et dimidium liberata est lotionibus aquae, quam ipsa includendo panes recenter pistos in aëno cupreo sibi paraverat. Duodecim annos nata morbillis affecta est cum tussi, qua principio aquosi tum tenacis muci sputa emoliebatur, coniunctis, quibus per sex hebdomades lectus ei tenendus fuit. Anno aetatis decimo octavo menses, dolore vehemente in abdomine ac in primis in regione sacrali antecedente, ternis quibusque hebdomadibus eadem ratione regredientes, copiosius profluentes per octo dies, ita ut dies modo quatuordecim liberi essent, profluere inceperuut. Gravidam se factam esse in mense Februario putat, menstrua saltem in hoc mense exspectata non apparuerunt. Primis mensibus qui sequebantur tribus saepe nausea, vomitu, dolore capitis, dolore in regione lumbali et talibus symptomatis, quae primo graviditatis tempore apparere solent, vexabatur gravida, quae quidem omnia symptomata venaesectione in tertio mense graviditatis instituta evanuerunt. Ex hoc tempore usque ad hanc diem nullas molestias amplius questa est. Primas infantis motiones in mense Iulio sentiebat.

Quum experta esset, se infantem vivum edere non posse, nisi operatione instituenda, auxilium petiit in nostro clinico obstetricio. Exploratione instituta quum manifestum esset, via qua oportet infantem vivum a gravida edi non posse, sectio caesarea ei proposita est, narratis non solum periculis, quae mater ista operatione subiret, verum etiam casibus enumeratis, in quibus mater et infans servatae fuissent. Gravida autem tanto desiderio edendi infantis vivi affecta erat, ut statim consentireiur Die igitur sexta mensis Novembris a. 1838. in clinicum recepta et acuratiori custodiae atque observationi tradita est.

2) *Conditio praesens die 7. Nov.*

Gravida parva statura, vix quatuor pedes magna, debili corporis habitu, sed satis bene nutrita est: color cutis albus, faciei vigens atque sanus; capilli ex nigro fusci, multi, palpebrae superiores, imprimis autem sinistri oculi, contra normam dependent; media in cornea oculi sinistri cicatricem satis magnam ulcere quod antea ibi adfuit exortam videre possumns, bulbus contra oculi dextri nihil abnorme praebet. Margines atque coniunctiva ambarum palpebrarum utriusque oculi paululum sunt rubefacti. Alae nasi latae, subtumidae, labium superius crassum, habitus omnino scrofulosus in facie perspicue se praebet. In latere colli sinistro plures depressionibus parvis et striis albis praeditas cicatrices tumoribus glandularum lymphaticarum antea exulceratis exortas videre possumus. Ceterum bona valetudine gaudet, somnus et appetitus ciborum bonus, lingua et alvus normales, pulsus regularis septuaginta ictuum per sexagesimam horae partem. Gravidae incessus est claudicans. Os sacrum valde extrinsecus spectat, ita ut in regione vertebrarum lumbalium inferiorum curvatio satis magna columnae vertebrarum introrsum appareat. Spina anterior superior lateris dextri eiusdemque lateris trochanter altius et magis ad frontem partibus lateris sinistri prominent. Plica glutaeorum in latere sinistro pollicem dimidium profundius dependet, quam eadem lateris dextri. Pedibus collocatis inter femura spatium sex ad octo, inter genua quatuor pollicum restat. Extremitatum inferiorum proportionaliter crassarum cutis hic et illic altas plicas format. Incertis diei temporibus, mane,

circa meridiem, ad vesperam, nonnunquam etiam noctu gravida in pluribus abdominis regiouibus, plerumque autem ad dextram et superiorem umbilici regionem motiones infantis per aliquod tempus durantes et tum evanescentes sine ullo dolore vel incommodo sentit.

Exploratio externa.

Mammae molles, satis tumentes cutis colorem habent. Ductus lactiferi per integumenta perspicue sentiri possunt. Ex papilla utriusque mammae bene formata et fusca areola circumdata interdum nonnullae guttae fluidi albi profluunt.

Abdomen est tensum, tactu non dolens, cuius circuitus proportionaliter pervalde magnus, super umbilicum et processum spinosum vertebrae lumbalis quintae est, triginta tres pollices et decem ac dimidiam lineas: fornix in utroque latere satis est aequalis, ita tamen ut ex loco altissimo ad frontem et in parte superiore minus plana evadat, quam ad tergum et in parte inferiore, qua re venter propendens, quem vocant, exortus est. Umbilicus aliquantulum processit, et fossa umbilicalis tanta, ut apex digiti indicis modo induci possit; fundus uteri paene ad scrobiculum cordis perrectus est. Infantis partes perspicue sentiri per integumenta possunt. In regione umbilicali superiore aliquantulum sinistrorsum corpus durum, circumscriptum, rotundum, digito prementi lente cedens invenitur; dextrorsum ab umbilico aliud, eadem magnitudine at non ita circumscriptum, manui prementi magis resistens, et fundum uteri versus duo minora, digitis cito cedentia sentiuntur corpuscula, quae alio loco statim se ostendunt. Ictus cordis in magnam superficiei partem extensi perspicue audiuntur; in latere dextro usque quo uterus sentitur, et eodem

modo in latere sinistro, excepta superiore parte, quo loco strepitus placentaris sonat; maxime perspicui audiuntur ictus cordis dextrorsum in regione umbilici superiore.

Exploratio interna

Genitalia externa nihil ostendunt, quod abnorme sit. Pelvis inclinatio parva; introitus vaginae, quae ipsa est mollis, tepida et lubrica, magis prorsus et satis amplus. Portio vaginalis mollis, atque remissa facile reperiri potuit, tres fere ad quatuor lineas longa. Orificium uteri adhuc clausum, labium anterius posteriore crassius. Segmentum uteri inferius eodem modo crassum atque remissum neque quaedam infantis pars per illud sentienda erat. Promontorium, magis in dextram pelvis partem prominens facillime sentitur. Promontorium et symphysis ossium pubis, quantum digito sentiri licet, paulo plus duo pollices inter se distant. A promontorio in utroque latere linea arcuata et musculus psoas et iliacus internus perspicue contingi potest, facilius tamen in sinistra quam in dextra pelvis parte, quia hoc loco promontorium est obvium. A ramo horizontali ossium pubis in latere sinistro promontorium magis distat, quam in dextro; illic est distantia duorum pollicum et sex ad octo linearum, hic duorum modo pollicum. Mensio instrumento „compas d'épaisseur de Baudelocque“ instituta a processu spinoso vertebrae lumbalis quintae usque ad symphysin ossium pubis paulo plus quinque pollicum distantiam ostendit.

Conspectus variarum corporis pelvisque dimensionum hic est:

Distantia posterior spinarum anteriorum superiorum il.	20″ — 10‴
„ anterior „ „ „ „	8″ — 7‴
„ trochanterum	10″ — 9‴
„ tuberum ischii externa	2″ — 9‴
„ „ „ interna	2″ — 3‴
„ tuberis ischii dextri ab altissimo cristae ilei puncto	6″ — 9‴
„ „ „ sinistri „ „ „ „ „	6″ — 3‴
A plano horizontali ad spinam anteriorem superiorem dextri ossis ilei	24″ — 8½‴
„ „ „ „ „ „ sinistri „ „	23″ — 10‴
„ „ „ trochanter dextrum	23″ — 1‴
„ „ „ „ sinistrum	22″ — 9‴
„ „ „ processum spinosum vertebrae lumbalis quintae	26″ — 9‴
„ „ „ symphysis ossium pubis verticem	19″ — 10‴
„ „ „ ossis coccygis apicem	21″ — 4½‴
Altitudo posterior pelvis ab apice ossis coccygis ad promontorium	3″ — 3‴
Diametrus transversa introitus pelvis	3″ — 4‴
„ coniugata spatii pelvis maximi	3″ — 6‴.

Ceterum gravida bona utitur valetadine nec de ullis molestiis conqueritur, et tranquilla atque hilaris operationem non modo sine ullo timore prospicit, sed etiam magna firmitate exspectat.

3) *Partus, ipsiusque operationis historia.*

Die sexta mensis Ianuarii post meridiem gravida primum dolores spasticos in regione sacrali conquerebatur, qui femora petebant et tales erant, quibus antea mensibus adpropinquantibus vexata erat. Qui quidem dolores incertis intervallis etiam noctu sed breve tempus perdurantes redibant. Die sequenti sanguinis aliquid coagulati mane ex vagina profluxit. Interne explorantes genitalia tepida atque humida inveniebant, portionem vaginalem autem laxam, unius lineae magnitudine, orificium uteri externum aliquid patefactum, ita ut digiti indicis apicem immittere liceret, internum autem orificium ferme adhuc clausum. Per segmentum uteri inferius pars infantis praevia modo sentiri potuit. Hoc die et sequenti eadem ratione nec dolores adaugebantur nec frequentius redibant. Die nona m. Ian. dolores adhuc rarissimi et maxime debiles post meridiem denique frequentiores et fortiores facti sunt. Abdomen magis erat expansum atque interdum inter dolores aliquantulum contrahi uterum sentire licet. Infantis quidem motiones non sentiuntur, ictus contra cordis clarus auditur. Vespere hora sexta orificium ad magnitudinem nummi grossorum quinque ad decem pervenerat, pars infantis praevia paululum regressa minus sentiri poterat quam heri. Velamenta tensa et porrecta erant, vagina tepida et pervalde humida, dolores in unaquaque fere quarta horae parte redibant.

Ceterum gravidae conditio minime anxia; queritur tantum de gustu amaro, lingua muco obtecta. Qua ex re illi emeticum ex radice Ipecacuanhae datum est. Inter noctem dolores minuti sunt et mane die decima mensis Ianuarii hora quarta fere evanuerunt. Exploratio intèrna nihil mutatum ostendit, modo orificium uteri paululum dilatatum magnitudine fuit nummi grossorum decem. Quum dolores adhuc minime adaugerentur, septima hora mane radicis Ipecacuanhae granum cum quatuor granis Boracis datum est, eodemque modo hora octava, at frustra. Octava tandem hora vespere dolores fortiores fieri et in minoribus intervallis redire incipiebant, uterusque fortiter contrahebatur. Infantis quidem motiones non sentiuntur, contra ictus cordis foetalis magna cum perspicuitate audiuntur, atque orificium uteri paulatim thaleri magnitudinem adeptum est. Conditio universa, praesertim quod ad animum gravidae pertinet, optima, atque ad omnia maxima cum animi firmitate et constantia parata, neque usque ad hoc tempus molestias vel dolores questa est. Pulsus plenus octaginta per sexagesimam horae partem ictuum. Hora nona orificium uteri fere evanuit, labium anterius tantum vix sentitur; velamenta sunt tensa et infantis caput alte supra symphysim ossium pubis prominet, clunes autem sinistrorsum ab umbilico sitae sunt. Nunc autem rebus ad operationem necessariis omnibus praeparatis parturiens mensae imposita est, in qua sectio caesarea erat instituenda.

Postquam assistentes, Doctores Birnbaum et Nettekoven, quorum erat, pressu circulari prohibere, quominus intestinorum quaedam pars inter operationem prolaberetur, ad sinistram parturientis manum accesserunt, pressumque circularem solis manibus rite et idonea manu instituerunt, ac studiosi quidam medicinae ad tenendos

pedes et Dr. Willems ad instrumenta offerenda prompti fuerunt, praesentibus nonnullis Professoribus, Doctoribus atque medicinae studiosis Profossor Kilian V. Cl. scalpello convexo abdominis fecit incisionem in ipsa linea alba sex fere pollices longam ab umbilico incipientem usque ad pollicem unum a monte Veneris porrigentem. Scalpello fere horizontale ducto integumenta usque ad peritonaeum persecta sunt, quod ipsum in vulneris angulo superiore caute incisum est, et tunc digito indice sinistro duce vulnus totum quam fuit longum patefactum est. Quo facto cl. Kilian eodem scalpello eodemque digito indice sinistro duce singula uteri anteriori pariete nudati strata, quae statim discesserunt, caute perscidit. Tum vero quum uterus ea ratione in angulo vulneris superiore fissus esset, nonnullis arteriis praesertim autem venis laesis aliqua sanguinis copia effluxit. Posthac uterus eodem scalpello, indice manus sinistrae digito duce, incisione quinque pollices longa patefactus est, cuius ex vulnere liquor amnii rapido cursu defluxit. In incisione apparuit humerus sinister. Quum operans hunc et dextrum, magnis impedimentis victis, evolvisset, etiam infantis caput et valido operantis tractu et contractione uteri fortiori explicatum est. Cetera infantis pars celerrime secuta est et infans bene nutritus puer et validus, minimeque laesus, sonore clamando distinctissima signa vitae didit. Uterus fere eodem tempore, cum foetu placenta remota, valide sese contraxit; eodem autem momento celerrime intestina utrimque in vulnus prosiliebant sed idoneo assistentium pressu retinebantur, ita ut per vulnus non prolabi potuerint. Vulnus deinde suturis coniunctum est. Quatuor autem ligaturae, quas descripsit et commendavit Graefe, opus erant, ut vulnus clauderetur, quibus duae minores addebantur. Quo facto

sutura nodosa longis et satis latis secundum Graefe se secantibus emplastris conglutinantibus adaucta est; angulus autem vulneris inferior, ut liquor secretus ab utero facile efflueret, non obtegebatur. Hunc in angulum cl. Kilian linteum carptum, quod vulgo nominamus „sindon,“ oleo madefactum inseruit. Fascia autem cetera quam potuit levissima, quibusdam oleo immersis linteis, quae „Plumaceaux“ vocantur, quodam linteo carpto et levi emplastris conglutinantibus fulcita compressa vulneri applicatis, absoluta est.

Dimensiones infantis erant sequentes:

Diameter capitis maxima	5″	6‴
„ longitudinalis recta	4″	5‴
„ transversa magna	4″	4″
„ „ parva	4″	—
„ verticalis	4″	1‴
Humeri	5″	2‴
Coxae	4″	8‴
Pondus infantis	7½	℔
Longitudo infantis	18″	—
Placentae pondus	1	℔
Longitudo funiculi umbilicalis	24″	—

4) *Puerperium.*

Mater operatione peracta maxime fatigatam ac debilem se sensit, atque conquesta est de imbecillitate syncopi simili et nausea, dum lingua fuit pura, humida. Facies pallida maduit sudore frigido, qui crassis guttis in fronte apparebat, caput ceterum liberum et conscientia integerrima. Pulsus parvus quidem et debilis, attamen quietus, minime irritatus et octogies ad nonagies icens per sexagesimam horae partem. Operata ex cubiculo,

ubi peracta fuit operatio, remota atque lecto recenti et calefacto imposita, spongia illi calefacta ad genitalia et vasa aqua fervida impleta ad pedes collocata, nec non, ut finem optatum consequerentur, continuo renovata sunt, qua etiam ex causa et extremitates et genitalia temperiem adauctam mox acceperunt. Ut prima operationis vis diminueretur et irritatio removeretur aut saltem diminueretur, sicut ad tollendam summam illam depressionem, quae operationem gravissimam, ut sectionem caesaream, semper sequi solet, statim operatione peracta puerperae quindecim guttae tincturae opii simplicis et tum emulsio cum aqua laurocerasi et extracto hyoscyami sunt porrectae. Post aliquod tempus dolores satis validi in abdomine orti sunt, qui a regione sacrali deorsum urgebant, dum puerpera maxima impatientia, inquiete et praesertim non vincenda loquacitate erat correpta. Breve tempus post dolor torquens in scrobiculo cordis accessit, qui exinde per totum abdomen in utrumque latus se extendebat; respiratio anxia reddita; pulsus interea satis plenus remanebat, interdum quidem intermittebat, mox tamen frequentia, quam antea habuit, reddita est. Semper etiam nausea laborabat puerpera et propensa erat ad movendum. Quae symptomata, ut removerentur, puerperam tam valde vexantia, hora decima iterum octo guttae Tinct. op. simpl. operatae sunt datae. Sed dolor nihilominus adaugebatur, vehementissimus erat inter horam decimam et primam in regione umbilicali, deorsum urgebat, certis intervallis redibat pervaldeque puerperam cruciabat. Pulsus semper plenus, interdum se tendens et durus fiens, tum autem denuo collabens et tranquillus redditus inter octoginta et nonaginta ictus remanebat. Regio abdominis superior paululum tumefacta compressione, duritie et dolore vehementi affi-

ciebatur, quae omnia symptomata celerrime adaugebantur. Dolores principio iis post partum similes magnisque intervallis redeuntes tandem dolori continuo cum compressione abdominis nullisque intervallis lucidis coniuncto locum relinquebant, quo puerperae impatientia adaugebatur. Haec autem conditio operatae validum seditativum fecit necessarium, atque hoc constitit in dosi guttarum quinque Tinct. op. simpl., et effecit, ut omnia illa, quae dixi, symptomata vix tolerabilia somno quieto cesserint, ex quo puerpera ab omni dolore liberata expergefacta est. Lochia quoque profluere incipiebant neque posteris diebus prorsus retardabant. Die sequenti duodecima scilicet m. Ian. denuo dolores abdominis vehementes apparuerunt, qui tamen intervallis lucidis commutabantur, pulsu centum et decem ictus habente atque duriusculo facto. Quibus symptomatis septem guttis Tinct. op. simpl. iterum repulsis, tumque somno tranquillo reducto, per aliquod tempus molestiis illis non amplius onerata est puerpera. Sed hoc tempus quietis tam valde optatae non diu duravit et mox fugatum est. Nam quum conditio vulneris, quam infra tractabo, ea esset, ut hirudines applicandae essent, syncope, nausea, sensu debilitatis in regione ventriculi puerpera est affecta, et quinque guttae Tinct. op. simpl. iterum adhibendae fuerunt, quum manifestum esset, hoc remedium nec ullum aliud, symptomata tam gravia removere tanta et tam necessaria celeritate. Quum autem guttis quadraginta Tinct. op. simpl. sumtis timeretur, ne usu opii, si continuaretur, alvi obstipatio provocaretur, aegrotae aequalibus symptomatis intrantibus acetum digitalis porrectum est, quod quidem a fine suo nunquam aberravit, sed nullo modo tantam utilitatem praebuit quam opium. Ubi autem symptomata nervosa graviora

facta sunt, aceto digitali minima morphii acetici dosis coniuncta est.

Sed una cum his symptomatis etiam vulneris conditio nequaquam neglecta est, sed contra eius inflammationis signa, quae mox operatione peracta apparuere, ut removeretur, cura instituta est. Iam duas et dimidiam horas post operationem institutam, quum dolores principio iis, qui post partum oriuntur, similes continui facti essent, fomenta gelidæ die noctuque abdomini continuo imposita sunt. Ex eadem causa, sicut ut sitis, quam aegrota insuperabilem declarabat, sedaretur, pilulae glaciales semper sumebantur, quae puerperae quoque magnum ferebant levamen. Quum autem secundo die post operationem inflammationis signa una cum abdominis doloribus in utroque latere augerentur, febris, delirium leve et paulo post mentis inopia intrarent, abdomen pervalde tensum et dolorificum, pulsus duriusculus, premendo non disparens, tensus, celer, plenus et centum et triginta ictuum facta essent, in abdominis locis emplastris conglutinantibus non obtectis duodecim hirudines impositae sunt. Quorum autem loco posteris diebus, dolore vehementiori facta magna dosis (ʒ II) unguenti hydrargyr cinerei in regione epigastrica infricabatur. Ita inflammatienem curando conditio vulneris bona videbatur, quum idem magis magisque clauderetur et fluidum ab utero secretum nulla re impediente facillime effluere posset.

Impedimentum, quod maxime obviam venit bono operationis eventui, omnibusque remediis adhibitis removeri non potuit, alvi obstipatio fuit admodum pertinax. Alvus quum semper post partum obstipata sit, in hoc casu quin contingeret non dubitandum erat; qua ex causa iam principio omnes vires, ut depelleretur, intensae sunt. Operatione igitur peracta nonnullas post horas

pulvis ex Calomelanos grano, Maiisterii Bismuthi grano dimidio et sacchari albi granis decem praescriptus et bihorio sumtus est. Nonnullis dosibus hoc modo adhibitis, quum nihilominus alvi obstipatio pertinacissima remaneret, sequenti post operationem die cum clysmatis, principio quidem ex aqua tantum et oleo consistentibus, atque omnihorio positis commutati sunt pulveres. Quum autem haec clysmata quoque finem, quem deberent, non assecuta sunt, sed aut vix posita aut per aliquod tempus retenta sine ulla faecium copia redderentur, Magnesia sulphrica iis admixta est, quae eodem modo nihil efficit, nisi crassae pituitae evacuationem. Simul interim praescriptum est: ℞ Inf. Senn. comp. ℥ IV., Mucil. gumm. mim. ʒIII, Magnes. sulphuric. ℥I. MDS. Omni sesquihora cochlearia duo sumenda. Quae autem medicina, quam symptomata inoptata sequerentur, mox seposita est et ab hoc tempore clysmatis ad cochlearia tria addebatur. Qua mixtura ita sine effectu consumta denique omni horio clysmata ex infuso Sennae forti cum oleo ricini et Kali sulphurico depurato ponebantur. Sed frustra, nam omnia fere clysmata parvo temporis spatio praeterlapso sine faecibus sunt reddita, semper pituita crassa intermixta.

Quotidie quoque aegrota e lecto, qui vulneris secreto lochiorumque fluxu nec non clysmatibus redditis valde erat inquinatus, in recenti antea satis calefacto collocata est, et vulnus deligatum et resoltutum est exceptis modo emplastris conglutinantibus.

Infantem sanum bis per diem puerpera lactabat; lochia semper copiose profluebant; et urina saepe reddebatur.

Hac in cura per primos dies post operationem conditio puerperae universa satis laeta videbatur et optare

licebat bonum eventum, sequentibus autem diebus magis magisque iniquior fiebat. Aegrota languescentem se sentiebat, somnum rarissime modo capere potuit, ructus, vomituritiones et febricitationes facti sunt vehementiores, frequentiores atque pulsus frequentior et vix sensibilis. Denique puerpera diem supremum obiit V. dies post operationem peractam.

Sectio.

Sectio hora post mortem undevicesima instituta est. In capitis superficie nihil contra normam est inventum. Cranio aperto parva seri copia inter duram matrem et cerebrum effusa apparebat, membranae cerebri colore pallido erant, sed ceterum normale. Thorace satis valde extenso et fornicato aperto pleura pulmonum cum ea costarum nonnullis locis tenue concretam se ostendebat; pulmones exceptis inferioribus lobulis oedematose quid tumefactis, normales. In pericardio nonnullae drachmae seri effusi inventae sunt. Cor normale parvam copiam sanguinis coagulati continens.

Abdomen valde extensum et tympaniformiter expansum erat; supra symphysin ossium pubis per integumenta corpus rotundum, durum, immobile sentiebatur, quo in loco percutiendo sonus fuscus etiam audiebatur, qui alibi clarus erat. Vulnus abdominis usque ad 3″ longitudinem contracta et superne firmiter conglutinata erat; locus, ubi sindon sita fuerat, longe hiabat, et infra eum etiam conglutinationes quidem evenerant, quae eaedem autem ligaturis separatis discedebant. Aperto abdomine apparuerunt singulae ilei partes et inter se et cum utero concretae; omentum cum vulnere materia quadam gelatinosa pulposa coniunctum erat, quae solo attrahendo facile separabatur; eiusdem generis materia

vesicam urinariam cum utero et symphisi ossium pubis coniunxerat. Singula quoque residua coagulati sanguinis in cavum abdominis effusi sunt inventa. Vulnus uteri adhuc vix 2″ magnum hiabat; substantia eius vero non mutata. Cetera abdominis intestina plane normalia erant.

Pelvis dimensiones hae:

Coniugata diagonalis	3″	—	2‴
„ vera	2″	—	6‴
„ dextra	2″	—	6‴
„ sinistra	2″	—	3‴
„ transversa introitus	3″	—	9‴
„ diagonalis „	3″	—	10‴
diameter recta spatii maximi	5″	—	„
„ transversa spatii minimi	3″	—	3‴
„ transversa exitus	3″	—	9‴
„ recta	3″	—	6‴

II.

1) *Mulieris, de qua agitur, somatica conditio; porro anamnestica et antecedentia.*

Dora Werth, viginti sex annos nata, e pago Soest, novem ante annos patrem phthisi pulmonali amisit. Mater, quae primum gemellos peperit, et deinceps tres adhuc partus edidit, utrum feliciter nec ne, gravida nescit, semper fere aegrotabat, praecipue autem quum gravidam nostram utero gestaret, per quod tempus saepe sanguinem e naribus atque ore effluxisse dicunt. Paulo post hoc in puerperio quoque mortua est, morbo, quem gravida phthisin nominat. Ex illis gravidae consanguineis modo natu maxima adhuc vivit: causam mortis aliorum sicut alia de matre gravida proferre nequit. — Parvula a noverca pessime habita saepe in mensis planis iacere debebat. Quo tempore primum incedere disceret, nescit; narrat autem, se infantem multum aegrotasse et usque ad aetatis annum septimum saepe fuisse portandam. Quo fere tempore nares etiam humorem vehementer prurientem et magno aurium dolore exortum secernebant, qui homor per interlunium valde effluebat, per plenilunium autem terminabatur et tempore brevi post prorsus cessabat. Anno aetatis un-

decimo caput eruptione, quam gravida ulcera inter capillos nominat, quaeque paulo post sponte evanuit, est obtectum. Prioribus quoque annis saepe morbo oculorum laboravit gravida, de quo autem nihil aliud dicere potest, nisi palpebrarum margines, quibus aliquamdiu crines deessent, saepe fuisse oblitos. Anno aetatis decimo septimo, quo tempore gravida dolore capitis valde afficiebatur, menses primum profluere inceperunt, qui, quum per octo dies perdurassent, quatuor primis diebus largius perfluentes dolore capitis vehementer crescente, sequentibus autem diebus una cum illo capitis dolore paulatim cessantes, posthac ternis hebdomadibus redierunt. Unum post annum ex alto horreo in tubera ishii, sed diatrorsum potius, cecidit, quo facto per dies quatuordecim in crure dextro et clunibus eiusdem lateris dolorem vehementissimum ambulans sentiebat, qui adhuc mutato coelo redit. Eodem anno affecta est febri nervosa, qua per hebdomades octo in lecto iacere debebat, per hebdomades quatuor mentis non compos. Eodem tempore totum corpus, et praecipue brachia ulceribus multis gradatim exeuntibus sunt obtecta, et exinde saepe gravi labore nauseam, fatigationem pressumque incertum in abdomine sentit. Post febrim nervosam menses moderatius profluebant; sex ante annos autem mensibus fluentibus in aquam incidit, quo ex tempore illi quidem iustum ordinem tenentes, semper autem dolore abdominis vehementissimo erant coniuncti. Praeterea semper bona valetudine fruebatur. Mense Iulio ultimum menses adfuere; quo ex tempore abdomine mammisque sensim magis magisque tumescentibus se gravidam sensit, semper autem optime valebat, reliquis morbi symptomatis prorsus una evanescentibus, urinam modo saepius quam antea reddere coacta laborabat praeterea cursu fluidi pi-

tuitosi nunquam autem acris ex vagina. Die 27. Decembr. a. 1838 ad clinicum nostrum obstetricium versa est, ut ibi infantem ederet.

2. *Conditio praesens die 27. m. Dec. 1838.*

Gravida exiguae staturae, corporis habitus satis robusti; caput nihil praebet abnorme, capilli multi, subfusci, color faciei ruber sanusque, oculi fulgentes. Optima valetudine gaudet, molestias non queritur. Appetitus ciborum bonus, lingua et alvus etiam normalis, pulsus regularis, mollis, non languidus. Infantis motiones incertis diei temporibus, mane, circa meridiem, nonnunquam et noctu gravida in pluribus abdominis regionibus, plerumque autem in sinistra umbilici regione sine ullo dolore vel incommodo quasi malleolum pulsantem distincte sentit. Clunis dextra extrinsecus plana, dextrorsum flexa aliquanto profundius quam sinistra se extendit; plica quoque dimidio pollicis profundius et amplius introrsum versa quam sinistra. Os sacrum mediocriter extrinsecus et retroversum pressum, os coccygis valde retrorsum spectans.

Exploratio externa.

Mammae molles satis tument, cutis colorem e flavo album habet. Ductus lactiferi tactu bene sentiuntur. Papillae bene corformatae areola fusca circumdatae sunt.

Abdomen modice expansum, integumenta eius tensa; pars inferior super symphysin ossium pubis sacciformis eminet; fossa umbilici paene aequata; fundus uteri inter umbilicum et scrobiculum cordis est perrectus. Dextrorsum ab umbilico dura, solida, subrotunda pars

infantis, manui perscrutanti minime cedens, sentitur, quae clunis esse videatur. Magis senistrorsum in umbilici regione duae minores, digito premente cito excedentes atque alio loco statim se ostendentes sintiuntur. Ictus cordis et strepitus placentaris cylindro adhibito perspicue audiuntur in magna superficiei parte abdominis.

Exploratio interna.

Pelvis inclinatio normalis, introitus vaginae, quae ipsa est mollis, tepida et lubrica, angustissimus est propter exiguam tuberum ischii distantiam, quorum dextrum tactu atqne pressu valde dolet, minime autem sinistrum. Portio vaginalis rotunda, sinistrorsum conversa, mollis, quatuor fere linias longa; orificium uteri externum siuistrorsum retrograversum adhuc clausum. Pelvis sinistroversum spectat, ita ut eius spatium in latere dextro magis exiguum sit, quam in sinistro. Symphysis ossium pubis nec non promontorium, quod facile sentiri potest, valde dextrorsum versa sunt atque pollices duos et linias sex ad octo, quantum digito distincte quodam modo metiri licet, inter se distant. Linia arcuata dextra sicut tota ossis sacri curvatio anterior facile adtingitur et toto ambitu persequi potest, quod autem latere sinistro fieri nequit. Os sacrum ipsum a latere dextro ad sinistrum versum et tum rursus dextrorsum spectat; os coccygis quoque dextrorsum versum. Mensio denique, quae cum „compas d'épaisseur Baudelocquii" est instituts a processu spinoso vertebrae lumbalis quintae usque ad symphysin ossium pubis longitudinem quinque pollicum triumque liniarum ostendit.

Variae corporis pelvisque dimensiones:

Distantia posterior spinarum anteriorum superiorum il.	21″ —	5‴
" anterior " " " "	9″ —	"
" trochanterum	10″ —	"
" tuberum ischii externa	2″ —	6‴
" " " interna	2″ —	"
" tuberis ischii dextri ab altissimo cristae ilei puncto	7″ —	$2^1/_2$‴
" " " sinistri " " " " "	6″ —	11‴
A plano horizontali ad spinam anteriorem superiorem dextri ossis ilei	29″ —	$3^3/_4$‴
" " " " " " sinistri " "	29″ —	11‴
" " " trochanter dextrum	27″ —	11‴
" " " " sinistrum	27″ —	$7^1/_4$‴
" " " processum spinosum vertebrae lumbalis quintae	29″ —	"
" " " symphysis ossium pubis verticem	25″ —	$10^1/_2$‴
" " " ossis coccygis apicem	25″ —	9‴
Altitudo posterior pelvis ab apice ossis coccygis ad promontorium	4″ —	$5^1/_2$‴
Diameter transversa introitus pelvis	3″ —	10‴
" coniugata spatii pelvis maximi	4″ —	3‴.

Exploratione illa instituta pelvim tam angustam esse manifestum erat, ut via solita infantem vivum gravida edere non posset, igiturque ei sectio caesarea est proposita, periculis nequaquam omissis, quae mater per istam operationem subeat, licet optime id evanerit. Extemplo gravida consensit atque accuratiori igitur custodiae et observationi tradita est. Optima in postero valetudine semper usa operationem paulo post sustinendam non solum sine ullo timore prospiciebat, verum etiam magna firmitate exspectabat.

3) *Partus, ipsiusque operationis historia.*

Post mediam noctem die sexto mensis Maii gravida primum spasmos questa est, qui nonnullis intermissionibus satis vehementer usque ad meridiem durabant, qua orificium uteri magnitudinem thaleri habuit, et velamenta inter dolores aliquantulum processerunt. Hora post meridiem secunda venaesectione unciarum sanguinis duodecim instituta et clysmatis nonnullis positis catheter est applicatus parvam autem urinae copiam modo exhauriens. Hora quarta orificium uteri fere evanuit, labium anterius adhuc tensum et crassum, posterius non amplius sentiri potuit. Per orificium uteri velamenta tensa sentiuntur et parva quaedam pars infantis praevia, quae autem propter suam mobilitatem et altiorem orificii statum cognosci nequit. Post hoc Doctoribus quibusdam nonnullisque medicinae studiosis ad eundem finem praesentibus, quem antea dixi in historia prima, a Professore clarissimo Kilian ut in operatione illa, quam supra scripsi, in ipsa linea alba facta est incissio abdomimis sex fere pollices longa et deinde peritonii; tum uterus ipse vulnere quinque pollices longo est patefac-

tus, in loco autem, quo proh dolor! placenta cum utero extensione dimidiae manus erat concreta. Quae igitur eodem modo persecanda velamentis etiam persecatis est soluta. Hiante autem uteri vulnere humerus infantis sinister primum apparuit, cuius caput in fundo, clunes autem in regione uteri inferiori iacebant, dorsum ad latus sinistrum spectans. Infantem hoc modo educere difficillimum erat, et forceps quidem ipsa, primum clunibus deinde capiti iniecta, labitur, clunibus deinde infantis in fundum uteri versis forceps iterum capiti iniecta etiam extraxit humerum infantis dextrum, ita ut digitis in ore positis caput et totum corpus evolvi posset. Infans filiolus validus, bene nutritus et bene corformatus, quamquam asphyxia affectus, non multo post clara voce clamabat. Deinde placenta remota eodem modo, quem antea descripsi, totum vulnus abdominis quatuor suturis nodosis et duobus minoribus est coniunctum atque longis et satis latis emplastris conglutinantibus ita fultum, ut inferior angulus eius, quo uteri secretum effluerct, emplastris illis non obtegeretur; super linteum autem carptum vulneri impositum splenium ponebatur. Matris conditio inter operationom bona erat et pulsus, quamquam multum sanguinis effluxerat, tamen tranquillus manserat.

Dimensiones infantis erant sequentes:

Diameter capitis maxima	5″	6‴
„ longitudinalis recta	4″	6‴
„ transversa magna	4″	3½
„ „ parva	4″	—
„ verticalis	4″	1‴
Humeri	5″	—
Coxae	4″	—

Pondus	infantis	. . . .	8 ℔
Longitudo		. . . .	17″ —
Longitudo funiculi umbilicalis		. . . .	20″ —
Pondus	„	„	1 ℔

4) *Puerperium.*

Conditio universa puerperae operatione peracta satis bona, pulsus quietus, tardus, mollis septuaginta ictuum per horae sexagesimam partem; facies calida, rubra, maduit sudore. Quod attinet ad symptomata inter puerperium emergentia, eadem fere fuerunt, ut in casu, quem scripsi, antecedenti, eademque igitur curam postulavere; interdum modo alia apparuerunt et aptis remediis erant fuganda. Itaque mox operatione peracta puerperae in lecto recente, antea satis calefacto, collocatae genitalibus spongia calida admovebatur pedibusque vas aqua tepida impletum, quae semper quoque calida tenebantur. Ut deinde prima operationis vis diminueretur et irritatio atque dolor removeretur, statim operatione peracta tincturae opii simplicis guttae octo et vespere iterum guttae sex aegrotae bis sunt datae, quae dosis ultima praeterea necessaria videbatur, quia puerpera semper dolores, ut ad partum, pungentes totum per abdomen usque ad pectus pertinentes, maximos autem in regione epigastrica et sacrali conquerebatur. Sequenti quoque die, quamdiu dolores abdominis, inquietudo, anxietas, febris vehemens, insomnia, singultus, ructus, vomitus apparebant, semper opii dosis indicata data est, ita ut in toto sensim guttae quinquaginta tincturae opii simplicis porrigerentur. Opium semper summam utilitatem praebebat, cuiusque usu symptomata gravissima fere omnia celerrime removebantur. Postea autem ob alvi obstipationis timorem aequalibus sym-

ptomatis intrantibus semel guttas decem aceti digitalis et alias grani quadrantem morphii acetici aegrota sumsit.

Contra inflammationis signa paucis post operationem horis epithemata gelida abdomini die noctuque imponebantur; atque eadem ex causa et ad magnam sitem expellendam et ad vomituritiones leniendas semper pilulas glaciales aegrata sumebat. Quum autem die post operationem sequenti pulsus se tolleret, duriusculus et frequens fieri inciperet atque inflammationis symptomata una cum doloribus abdominis utriusque lateris valde adaugerentur, hirudines viginti inter emplastra conglutinentia sunt applicatae; pulsu autem nihilominus semper frequenti, variante ac duro manente sanguinis detractio unciarum duodecim est instituta. Sequentibus quoque diebus ob dolorem vehementem in regionibus lumbalibus et hypochondriacis, imprimis quidem hypochondriaca sinistra, hirudines paulatim quadraginta octo sunt applicatae, quarum autem loco die post operationem tertio unguentum hydrargyri cinereum ad drachmas duas regioni epigastricae propter dolorem hac in regione vehementem infricatum est.

Ut porro etiam iam mature alvus solveretur statim die post operationem praescripti sunt pulveres e Calomelane ad granum, Magisterio bismuthi ad granum dimidium et gummi mimosae grana quinque p. d. Nro. decem, quorum unns omni bihorio sumptus est. Dosi decima data a die post operationem secundo omni horio clysma ponebatur et prima quidem decem simplicia ex aqua et oleo, quibus postea Magnesia sulphurica est addita. Qua mixtura per aliquod tempus frustra adhibita denique omni horio clysmata ex infuso Sennae forti cum oleo Ricini et Kali sulphurico depurato ponebantur. Quae vero ob magnos abdominis dolores per aliquot ho-

ras intermissa et tum iterum posita sunt, sed postea quidem permutata suppositorio ex pulvere radicis Ialappae et Sapone. Omnia fere clysmata autem parvo temporis spatio praeterlapso sine faecibus sunt reddita, semperque pituita crassa et bis modo exigua copia flavo subviridis materiae fluidae et faeculentae intermixta.

Quotidie quoque lectus inquinatus cum recenti commutatus et vulnus deligatum et resolutum est emplastris conglutinantibus exceptis. Vulnus iam die post operationem tertio ad cicatricem incipientem perductum in inferiore tantum parte et ligaturarum locis suppurabat.

Infans bis per diem a matre lactabatur; lochia semper copiose effluebant.

Hac in cura per diem post operationem primum et secundum conditio universa puerperae, saepe quiete fruitae, nonunquam tantum dolore abdominis, ructu et vomituritionibus vexatae, satis erat laeta, sequenti autem die iam iniquior. Die decimo hora octava matutina aegrota, usque ad hoc tempus mentis suae compos, oculos adhuc lucidos et claros circumvolvit; pulsus irregularis, varians, vix numerabilis denique intermittit; respiratio celerrima, intermittens, difficilis resolutionem respirationis organorum ostendit. Labia, usque ad hoc temqus rubra, pallida fiunt, oculi clauduntur, facies pallida sudore frigido est obtecta. Aegrota animum exspiravit.

Subiculo, in quo collocata erat aegrota, remoto copia satis magna faecium materiae fluidae ac subviridis apparuit, quae totum subiculum madefecerat, attamen verisimile fuit, ut inter dimicationem cum morte expressa esset.

Sectio.

Sectio hora post mortem nona est instituta. Margines vulneris abdominis, quam longi erant, funditus omnino consanati in superficie tantum paululum hiabant; e vulneribus autem ligaturarum nec non ex angulo vulneris abdominis ipsius inferiore funditus quidem consanato, superficie puris fluidi copia exigua pressu effluxit. Vulnus uteri contra totum minime erat clausum; inter ora eius hiantia corpus enim, magnitudine manus fere dimidiae, rubrum, spongiosum, cum superficie uteri interna concretum apparuit, quod corpus etiam cohaerebat membrana tenui, albida, quae ut pannus bombycinus extendi poterat, et diligentiore exploratione pars velamentorum erat habenda, sicut corpus illud rubrum placentae residuum. Ventriculus et intestina copia satis magna liquoris, subvidinis, faeculenti erant impleta. Intestina ipsa omnia fere, praecipue autem ilium et inter se et cum peritoneo, maxime autem cum tegumento uteri peritoneali erant conglutinata effussione crassa, flava, sordida, purulenta; atque superficie externa, minime autem interna, multis locis atque etiam cum peritoneo vasa rubra se ostendebant. Praeterea quoque colon, praecipue quidem colon descendens tota in sua superficie exsudationem illam habebat, quam antea nominavi, et sub ea inflammationem ad tegumentum etiam uteri peritoniale progressam, sub quo fundum uteri ipsum colore fusco magnitudinis manus et intermixta puncta nigra videre poteras. In pericardio liquor serosus unciarum fere duarum effusus et in atriis cordis polypi sunt inventi. Pleura diaphragmatica inflammatione erat affecta et pulmones oedemate parvo. In cerebro glandulae Pacchioni magnae et in plexu choroideo nonnullae hydatides.

Pelvis dimensiones:

Congugata	2″ 9‴
Transversa introitus	3″ 3‴
Diagonalis prima	4″ —
„ secunda	3″ 9‴
Recta spatii maximi	3″ —
Transversa spatii minimi	3″ 6‴
„ exitus	2″ 3‴
Recta exitus	2″ 6‴

III.

1) *Mulieris, de qua agitur somatica conditio; deinde anamnestica et antecedentia.*

Mulier Elisatha Ax, ex oppido St. Johann, viginti quinque annos nata, de prima aetate parvum dicere potest, reminiscitur modo, se anno aetatis quinto incedere didicisse, annum unam natam ingredi quidem per aliquod tempus potuisse, tum autem morbo affectam esse se dicit, et inter quinque annos denuo incedere non didicisse. Ab hoc tempore semper bona valetudine se fruitam esse contendit. Anno aetatis decimo sexto menses moliminibus nullis antecedentibus primum profluere inceperunt, et eadem ratione et eodem tempore ut deberent regrediebantur usque ad annum aetatis vicesimum, quo in matrimonium ducta mense Februario a. 1836 gravida facta

est. In hac tamen conditione per quatuor modo menses commorabatur, dum hoc temporis spatio praeterlapso ex causa ipsi ignota, dolore in latere sinistro vexata et parva sanguinis copia profluente, abortat. Quum vero abortum facile superavit, vix in rebus fungendis familiaribus impedita et mox iterum gravida facta est, quae autem graviditas tempus, quod debet perdurabat. Mense Augusto a. 1837 hora quarta post meridiem dolores satis fortes apparuerunt, primum quidem longis sed regularibus intervallis regredientes, tum autem intervalla lucida facientes breviora. Quum autem parturiens admonente obstetrice iam principio, quantum potuit, prelum abdominale ad partus auxilium adhibebat, dolores primo tempore fortes mox ad finem ducti sunt usque ad eiusdem diei horam octavam, qua denuo cum fortitudine ut antea intrabant. Hora nona vespere aquae eruperunt et obstetrix extremitatem superiorem capiti procumbentem exploratione inveniens medicum advocari iussit. Medicus celeriter accessitus, exploratione accuratissime instituta, pelvim, ut parturiens infantem vivum edere posset, angustiorem, caputque perforandum esse declaravit, si servanda esset mater. Quum autem conditionem ab illo prolatam repudiari non dubitaretur, medicus statim ad instrumento forcipiformi operationem faciendam se paravit. Manum praeviam operationi valde incommodantem in articulo humeri extorquendo primum removit et tum infantis caput perforavit. Denique autem quum a hora matutina quinta usque ad decimam, ut infantem extraheret, forcipe frustra laborasset, alterum medicum ad auxilium petiit, qui accessitus usque ad horam primam post meridiem omnem laborem sicut primus operationem ad finem perducendo frustra imponebat, et nullo modo caput pelvi extrahere potuit. Quae quum ita se ha-

berent, tertius quoque medicus ad auxilium venire iussus est, qui tandem versione ad pedes facta magno cum labore infantem utero removit. Omnes autem has operationes mulier Ax tam bene superavit, ut iam octo diebus post neque dolore neque ullis febricitationibus per hoc tempus vexata lectum relinquere posset. Mensibus nonnullis praeterlapsis denuo se gravidam esse sentiit, iterumque novem menses infantem utero gestabat, quamquam a medico admonita fuit, ut nullo modo, si iterum gravida fieret, graviditatis finem exspectaret, quod per pelvim tam angustam nunquam infantem maturum vivum edere posset. Quum autem peccatum haberet infantem immaturum ad lucem proferre atque hac in opinione etiam ab aliis hominibus imprudentibus firmata esset, medicum graviditatis tempore fefellit, quo modo finis graviditatis regularis ante sedecim menses appropinquavit. Dolores per duodecim dies persissentes modo fortiores modo infirmiores facti apparuerunt. Denique autem quum dolores maxime adaugerentur, atque intensitate per quinque horas sine ullo eventu crescerent, medicus advocatus forcipe capiti infantis praevio iniecta partum ad finem perduxit. Hunc autem infantem cetero minorem, et quoad capitis ossa integerrimum cum facie tantum et capite valde compresso atque naso cum cruento prolatum fuisse mater contendit, sed mox, postquam non saepe pedes moverat atque oculos semel tantum apperuerat, mortuum esse. Medicus forcipis cochlearibus faciem infantis et occipitem prehenderat. Puerperium facile et breve tempore ut antea superavit. Nunc quartum foetum utero gestans et nono quidem mense in nostrum clinicum venit, optans se hic tandem infantem vivum edere posse. Exploratione acuratissime instituta quum intelligeretur, fieri non posse, ut nulla

ratione foetus vita servaretur, nisi operatione, quumque sectio Caesarea omissis nequaquam periculis, quae subeat mater, gravidae non recusanti proposita esset, die decima mensis Aprilis e. a. 1839 in clinicum recepta est gravida.

2) *Conditio praesens die 10. m. April.*

Gravida est parva statura, sed corpore valido, bene nutrito et, ut videtur, regulariter formato, externa saltem nihil contra normam praebent. Capilli longi, multi, e fusco candicantes; oculi caerulei, fulgentes; cutis tenera eiusque color albus cum multis venis per tegumentum caeruleis perlucentibus. Facies sano colore subtilia sed tamen valde signata liniamenta praebet, et gravida ipsa maxime viget et in movendo et in loquendo. Extremitates, imprimis manus, musculis tenuibus atque ossibus gracilibus excellunt; pedes minimi. Pedibus collocatis spatium satis magnum inter genua restat; maleoli subtiles et tenues. Ex toto corporis habitu rhachitis eretica perspicue cognosci potest. Thorax parvus atque arctus. Ceterum nihil contra normam totum corpus externe praebet. Incertis temporibus infantis motiones, praecipue in regione umbilici dextra superiore, sine ullo incommodo sentit mater.

Exploratio externa.

Mammae medica magnitudine bonaque conformatione colorem habent album, multis venis perlucentibus caeruleis praeditae sunt, usque sub axillas se extendentes satis tument, earumque ductus laetiferi facile et perspi-

cue tactu sentiuntur. Ex papillis parvis, sed bene conformatis areolaque fusca circumdatis interdum fluidum, tunicam linteam madefaciens, profluit.

Abdomen aequabiliter expansum atque tensum rugis multiparam esse ostendit. Fossa umbilicalis paene aequata; fundus uteri usque ad scrobiculum cordis est porrectus. In regione sinistra umbilici superiore corpus magnum, circumscriptum, pressu non cedens, et in regione inferiore eiusdem lateris corpus magnum, durum rotundum, manui perscrutanti lente excedens, quod caput habendum est, sentitur. In regione umbilici dextra superiore aliud, minus, digito prementi cito excedens et mox alio loco apparens corpusculum exploratione animadvertere potes. Cylindro adhibito ictus cordis atque strepitus placentaris perspicue auditur.

Exploratio interna.

Genitalia externa nihil contra normam praebent. Introitus vaginae, quae ipsa, quantum spatium pelvis angustum licet, satis ampla, remissa atque muco tenaci obtecta, spatium laxum ostendit. Segmentum uteri inferius tenue, sed eodem modo ut vagina molle, remissum, perspicua cum fluctuatione digito exploranti apparet, infantis autem pars propter statum altiorem nequaquam sentiri potest. Portio vaginalis nonnullas adhuc linias longa, crassa, pluribus locis rumpendo altius scissa exploratione nodosa sentitur. Pelvis, cuius exploratio maximi momenti, signa rhachitica magna perspicuitate ostendit. Digitus per introitum vaginae perductus labitur fere ad promontorium praeiacens, ita ut principio exostosin ossis sacri adesse credere possimus. Sinus autem, quem vertebrae lumbalis infimae et ossis sacri cartilago format, qui etiam facillime cognosci po-

test, et linia arcuata, quam exinde inprimis in latere sinistro in toto ambitu facile contingere licet, sufficienter declarant, illud esse promontorium. Eadem ratione vertebrae lumbalis quartae et quintae corpora perspicue ac facile contingi possunt, paululum sinistrorsum spectantia, ita ut promontorium sinistro ossium pubis ramo horizontali proprius accedat, quam dextro. In latere sinistro haud dubie hoc spatium non maius quam duorum pollicum, in latere dextro contra magnitudinem duorum pollicum paululum excedit. Vertebrae lumbales igitur antrorsum spectantes tam profunde in pelvim prominent, ut promontorium superficiem fere horizontalem cum supremo ossium pubis puncto formet, ex quo sequitur pelvis inclinatio minima. Os sacrum valde retrorsum spectans supra modum curvatum est. Pelvis, cuius ossa omnia sunt gracilia atque tenuia, exitus normalis, eiusdemque altitudo in utroque latere normalis. „Compas d'epaisseur Baudelocquii“ coniugatam externam quinque pollicum arcte ostendit. Ceterae pelvis corporisque mensiones, quas instituimus, haec ostendunt:

Distantia posterior spinarum anteriorum superiorum il.	22″	—	„
„ anterior „ „ „ „	8″	—	10‴
„ trochanterum.	10″	—	2‴
Diameter transversa pelvis introitus	4″	—	1‴
„ recta pelvis exitus	3″	—	3½‴
„ transversa pelvis exitus	4″	—	„
A plano horizontali ad spinam anteriorem superiorem ilei utriusque lateris	3″	—	2‴
„ „ „ trochanteres utriusque lateris	29″	—	5‴
„ „ „ processum spinosum vertebrae lumbalis quintae	27″	—	5‴
„ „ „ symphysis ossium pubis verticem	27″	—	3‴
„ „ „ ossis coccygis apicem	26″	—	1‴

3) *Partus ipsiusque operationis historia.*

Die undevicesimo mensis Aprilis post mediam noctem gravida primum de doloribus exiguis, trahentibus et raro tantum redeuntibus medio in abdomine conqueri incipiebat, qui sequenti die ad vesperam frequentiores ac fortiores facti uterum quocunque tempore tensum reddebant. Genitalia autem externa omnino non adhuc praeparata erant, portio vaginalis adhuc longa, remissa, et segmentum uteri inferius eiusdem conditionis nequaquam partem infantis praeviam sentire licebat. Die vicesimo primo dolores rariores fiebant, attamen durities quaedam et tensio segmenti uteri inferioris, orificium uteri parum dilatatum et in parvo ambitu velamenta sentiebantur, quibus in proximis pars infantis parva, verisimile extremitas superior, iacebat, dum magis sinistrorsum corpus durum, aequabiliter rotundum, haud dubie infantis caput, digito exploranti se praebuit. Meridiei tempore sudor copiosus diu perdurans, totumque corpus obtegens apparuit, quo dolores iterum rariores facti sunt. Cibis ad meridiem bono cum appetitu captis ad vesperam parturiens cochlear parvum huius medicinae sumpsit: ℞ Morph. acetic. gr.I; Syrup. sacchar. ℥I; MDS. Quo facto per totam noctem quiete dormivit, et interdum modo doloribus magnis intervallis intrantibus expergefacta est. Die vicesimo secundo nihil mutatum fuit pars tantum parva praevia se retraxerat et caput per vaginae laquear altius sentiri potuit. Hora denique tertia post meridiem dolores fortiores, frequentiores atque diutius perdurantes fieri et velamenta se tendere incipiebant, qua ex causa orificium uteri ad horam sextam nummi decem grossorum magnitudinem acceperat.

Itaque quum parturiens denuo magnam confidentiam in operatione posuisset, eandemque magna cum observantia, animi firmitate nec non impatientia exspectasset, Professor clarissimus Kilian illius extemplo instituendae consilium cepit. Urina reddita atque recto ut debet evacuato parturiens in mensa, ad operationem instituendam parata, posita est, inter quod tempus velamenta eruperunt et magna liquoris amnii copia effluxit.

Dum assistentes Doctores Nettckoven et Rittershausen solis manibus abdomine impositis, ille ambabus desuper, hic manu sinistra ab imo, pressum circularem rite atque idonea manu instituerunt, Prof. cl. Kilian scalpello convexo in ipsa linea alba abdominis incisionem sex pollices longam ab umbilico usque ad montem Veneris porrigentem fecit. Peritoneo deinde duce digito indice manus sinistrae caute perscisso etiam uterus ipse in vulnere apparens idemque totum explens eadem ratione, quam iam supra descripsi, persectus est, parva tantum copia liquoris amnii effluente. In uteri vulnere manus dextra super caput vulneris sinistrorsum iacens reiecta primum apparuit, qua autem mirabili cum celeritate in abdomen remota, infantis caput forcipe ei iniecta et tum totum corpus extractum est. Maius autem impedimentum placentae removendae obviam venit. Nam quum eadem pluribus locis utero cohaereret, cl. Kilian ut solveret, manum inferre opus erat. Tribus autem locis placenta utero firmissime et uno quidem loco magnitudine thaleri adhaerebat atque aegre modo seiungi potuit. Interea tamen parvo tempore copia sanguinis minore profluente eadem separata et remota est. Quum autem iterum tota manu intrando eius vulnus maxime dilataretur supra Doctoris Rittershausen manum parva intestini pars, ab illo tamen

statim reposita, prolapsa est, et inter placentam removendam desuper maior intestini et parva omenti pars procedit, quae iterum repressa et retenta semper aliqua parte denuo prolabebatur et tantum manibus assistentium tribus compositis atque pressum instituentibus retineri potuit. Uterus interea totum se contraxerat et ab assistentibus globus adstrictus ac firmus sub manibus sentiebatur. Nunc statim ad claudendum vulnus accessum est, et parte omenti prolapsi inter suturas nodosas adhibendas quatuor maiores sensim sensimque in abdomen remota, duabus suturis minoribus et emplastris conglutinantibus fulcita est vulneris coniunctio. In angulo vulneris inferiore „Sindon" et supra totum vulnus splenium leve, ut in illis casibus, quos descripsi, imposita sunt. — Infans operatione ad lucem prolata, valida atque sana puella mox clara voce clamabat.

Cuius dimensiones erant sequentes:

Diameter capitis maxima	4″	6‴
„ longitudinalis recta	4″	3‴
„ transversa magna	3″	9‴
„ „ parva	3″	3‴
„ verticalis	3″	6‴
Humeri	3″	9‴
Coxae	3″	—
Pondus infantis	5¾ ℔	
Longitudo infantis	16″	—

4) *Puerperium.*

Operatione peracta facies quidem pallida, attamen neque nauseam neque dolorem conquesta est puerpera; pulsus octoginta ictuum, parum tensus fuit. Statim post opera-

tionem puerperae in lecto recenti et calefacto collocatae, femuribus adtractis iisque pulvinis suppositis, vasa aqua fervida impleta ad pedes et spongia calefacta ad genitalia admovebantur. Quae quum ab fine non aberrarent, breve tempus quiete fruebatur. Sed mox inquieta fieri incipiebat, nausea, singultus et ructus apparebant, qua ex re guttae duodecim Tincturae opii simplicis datae sunt, atque dosis semptem guttarum ob magnam inquietatem et dolores vehementes trahentesque in latere sinistro post mediam noctem iterum porecta est, quo facto sudor copiosus totius corporis exortus est, et aegrota somnum profundum tres horas perdurantem respirationi regulari, profunda ac sterturosa fere facta, cepit, ex quo maxime recreata, minore siti vexata et lingua in apice muco albido obtecta expergefacta est; pulsus mollis centum et viginti ictus per sexagesimam horae partem habebat. Sequenti die propter dolores vehementes, breve tempus quidem durantes, sed mox iterum atque iterum apparentes in utroque hypochondrio guttis octo Tinct. opii simpl. opus erat. quas datas iterum somnus secutus est. Opium autem ab hoc tempore intermittebatur, cum ne alvum obstrictum faceret, tum vero quod symptomata aliis remediis cedere crederetur, atque eius loco aequalibus symptomatis exorientibus, quod etiam posteris diebus non raro evenit, Extractum hyoscyami, Acidum hydrocyanicum et Morphium aceticum, vel sola vel cum aliis remediis, partim ad inflammationem debellandam, partim ad abstipationem alvi removendam adhibitis, coniuncta adhibebantur. Quo tamen in casu illis symptomatis, ut nausea, vomiturritiones, singultus, ructus, cetera, non tam valde vexata est aegrota, quam illae, de quibus iam egimus, sed horum symptomatum loco proh dolor! vomitus, dolori-

bus abdominis vehementissimis et meteorismo maximo torquente coniunctus, non modo cibis vel medicina sumptis, verum etiam sine ulla causa externa saepissime exoriebatur, quo semper permagna subviridis materiae copia, semel quoque faecibus commixta eiiciebatur, quemque semper somnus et sudor copiosus sequebatur. Iam die sequenti post operationem hic vomitus, doloribus vehementissimis, trahentibus, colicis similibus, abdomine tympani instar valde expanso, pulsu modo parvo, filiformi, intermittenti, modo duro ac pleno facto semper antecedentibus, incipium fecit, et unaquaque die, usque ad mortem saepissime repetitus est. Qui ut removeretur, aliquoties Morphum aceticum ad grani quadrantem partem adhibitum est frustra. Semper quidem vomitus per aliquod tempus levamen, interdum etiam quietem ferebat, attamen vires puerperae sudore quocunque tempore sequente et magno labore tantum prostratae sunt ut mox analeptica, iusculum carnis, vinum, remedia olfactoria, lotiones singularum corporis partium remediis volatilibus, totius corporis vino, ceteris, adhibenda essent. Ex hac quoque causa signum maxime inoptatum fuit vomitus, quod vulneri in cicatrice formanda magnum impedimentum praeberet, qua re semper illo intrante, ne vulnus denuo erumperet, duabus manibus abdomen est compressum. Nihilominus autem, quum dolores colicis similes vehementissimi, tumultus intestinorum permagnus, nausea, vomituritiones existerent et ventriculus atque intestina ad collum porrigerentur, die tertio post operationem emeticum ex granis quindecim radicis Ipecacuanhae datum est, quo quidem materia viridis duarum librarum evacuata, sed nequaquam finis optatus consecutus est. Omnino conditio puerperae magis magisque peior fiebat et fini appropinquare videbatur.

Inflammationis signa non diu operatione peracta iam exoriebantur, et principio quidem unica fuere, quae conquesta est aegrota, quorumque imprimis sitis non vincenda et ardor vulneris fuit, quae autem symptomata aqua frigida, pilulis glacialibus porrectis et epithematis gelidis abdomini impositis totum fere remota sunt, sicut etiam sequenti die dolores vagantes, vehementes sed breve tempus durantes inprimis in latere dextro vesica glacie impleta imposita fugati sunt. Sed eadem adhuc die pulsus durus centum et viginti ictuum, cutis sicca, calida, sitis insuperabilis, lingua in apice magno ambitu rubefacta, dolores frequentiores ac fortiores facti per totum abdomen migrantes, subito evanescentes et denuo apparentes, et imprimis regionem inguinalem et hypogastricam tenentes detractionem sanguinis unciarum sex atque applicationem hirudinum viginti illis locis, quibus dolor maximus, necessariam fecerunt, quarum decem, quum omnia quae modo dixi sxmptomata exacerberent, pulsus frequentior, minor, duriusculus ac celerior fieret, ad vesperam eiusdem diei iterum positae sunt. Tres post dies operatione instituta adhuc semel, quum abdomen valde doleret et tumefactum esset, pressu dolor adaugeretur, singultus fortior, cutis sicca et calida fieret et pulsus durus centum et quinquaginta ictus haberet detractio sanguinis unciarum quatuor est instituta et sedecim hirudines positae sunt, tum autem earum loco unguentum hydrargyri cinereum locis dolorificis est infricatum. Propter sitim, quam non vincendam aegrota semper declarabat, exceptis illis glacialibus pilulis atque aqua frigida, etiam serum lactis dulcificatum et aqua Roisdorfiensis, non solum ad explendam illam sitim, verum etiam ut remedia contra alvi obstipationem adhibita adiuvarentur, a puerpera semper sumebantur, quae eti-

sua semper, imprimis aqua Roisdorfiensis, maximum ferebant levamen.

Hoc quoque in casu quum maximum impedimentum esse bono eventui alvi obstrictionem pertinacissimam crederetur, iam nonnullas post horas operatione instituta illis remediis ad tollenda illa symptomata iam descripta adhibitis, Mercurius dulcis ad grana duo additus bis porrectus est, quem clysmata ex aqua, aceto atque oleo sequebantur. Quae quum sine effectu manerent, die secundo post operationem decoctum pulpae tamarindorum cum tartaro tartarisato et eleosaccharo foeniculi, omnihorio cochlear magnum sumendum, praescriptum est, quod autem duobus cochlearibus sumtis iam intermittendum fuit, quia vomitum provocavit, atque eius loco nunc omnihorio Calomelanos granum unum sumebatur et clysma ex oleo Ricini cum magnesia sulphurica ponebatur, sed eodem modo ut antea frustra. Etiam suppositoria interdum clysmatum loco posita sine faecibus reddebantur. Deinde adhuc clysmata ex oleo Crotonis adhibita sunt. Itaque praescriptum est: ℞ Olei Crotonis gutt. II., Ol. amygdal. dulc. ℥ I. MDS. Ad duo clysmata adhibenda. Quae autem sicut omnia fere clysmata semper vix posita reddebantur, interdum modo diutius tenebantur et crassa pituita commixta sed sine ulla faecium copia tum reddebantur; aliquoties tantum plures flatus faeculente olentes clysmata sequebantur. Ut denique diutius commorarent clysmata, eadem per longos tubulos elasticos altius in rectum perductos ponere tentatum est, qui autem tubuli pelvi tam male formata impedimentum insuperabile invenerunt.

Sindon in angulo vulneris inferiori posita quotidie cum recenti mutabatur, quam primo et secundo die magna seri atque sanguinis copia sequebatur, posteris autem

diebus nihil fere ab utero amplius secretum est. Vulnus iam tertio die post operationem, quum eius splenium premeret et abdominis dolores adaugeret, deligatum, resolutum est, quo die cicatrix ad finem fere perducta videbatur, nonnullis tantum locis pressu dolebat et in angulo inferiori et parte ligaturarum suppurabat. Quotidie quoque aegrota e lecto, qui vulnere secreto lochiorumque fluxu nec non clysmatis redditis valde erat inquinatus, in recenti, ante satis calefacto, cuius desiderio semper tenebatur, collocata est.

Infans sanus bis per diem a matre lactabatur et semper optime imbibit. Lochia semper ac copiose effluebant et urina saepe reddebatur.

Hac in cura conditio puerperae iam tertio die post operationem pessima facta est et vix bonum eventum optare licuit. Die quarto adhuc semel oleo Ricini interne periculum factum atque eius cochlear magnum datum est, quod etiam una cum aliqua vini rhenani optimi copia data retinebatur. Quum autem aegrota breve post tempus nausea vexaretur, repudiavit eiusdem usum in posterum. Vomitus non amplius exortus est, quum vires magis magisque exhaurirentur. Singulares ictus pulsus non amplius discerni poterant; extremitates subfrigidae, sudore tenaci obtectae, facies hippocratica mox calida mox frigida, respiratio, expansione abdominis denuo adaucta, frequentior atque molesta, dolores abdominis fere totum subducti mortem mox appropinquantem satis declarabant. Sitis denuo aegrotam magis vexare incipiebat, ita ut magna violentia maiorem atque maiorem aquae copiam desideraret; extremitatum quae sensim sensimque omnino frigidae factae erant pulsus deficit et spiritus tardius, intermittenter atque aegre tantum ducitur. Delirio, balbatione singularum syllabarum, co-

lore ex caeruleo glauco circum oculos non omnino clausos, turbidos neque amplius videntes antecedentibus, ictu cordis magis magisque imbecilliore et tardiore facto, mors vespere hora decima quarti diei post operationem secuta est.

Sectio.

Sectio die sequenti post mortem instituta est. Abdomen pervalde extensum et durum erat, atque ventriculi pressu flumen fluidi fusci per os et nares effluxit. Supra os pubis sinistri lateris magnum, durum, rotundum immobile corpus per tegumenta sentiebatur, quo loco etiam percussio sonum fuscum ceteris autem locis tympaniticum praebuit. Abdominis vulnus excepto angulo inferione et parte ligaturarum plane clausum.

Cranium. Inter duram matrem et arachnoideam magna seri flavidi copia; tota arachnoidea ipsa albida, crassa et cum pia matre massa gelatinosa, cellulosa, molli coniuncta multis in locis parva, rotunda, modo sparsa modo accumulata, albida puncta ostendebat, quae tuberculis similia in meteria ipsa coniunctiva sedem habebant. Inter piam matrem et cerebrum sicut in cerebri ventriculis magna seri copia effusa erat.

Thorax. Thorax angustus, parvus, costae et sternum subtilia atque gracilia. Trachea et bronchia muco fusco ac spumoso impleta; in membrana eorum mucosa et pulmone ipso, lobis oedematosis inferioribus exceptis, nihil mutatum. Cor parvum sine sanguine, in atriis eius parva sanguinis coagulati copia. Pericardium unciam fere dimidiam seri effusi continebat.

Abdomen. Abdomine aperto intestina extensa per incisionem vehementer proruperunt, omnia fere, imprimis autem colum transversum loco prorsus remota. Ven-

triculus valde extensus infra tractus fuit et cetera intestina gas impleta. Omentum ad uterum decurrens cum eodem concretum erat. Uterus ipse, ut iam indicavi, in synchondrosi sacro-iliaca sinistra iuxta promontorium valde prominens positus erat magnitudinem habens capitis infantis, et toto pondere premens ad flexuram sygmoideam recti, quod proximum sub illo maxime remissum et vacuum, supra illum autem pervalde extensum neque tamen magna faecium copia impletum inventum est. Vulnus uteri adhuc hiabat et iter labia vulneris externa spatium pollicis unius restabat internis magis appropinquatis. Omentum satis magno ambitu cum fundo uteri concretum erat recentibus flavidisque adhaesionibus, quae facile seiungi potuerunt. Inter uterum et parietem abdominis oppositum nonnullae intestini partes et inter se et cum abdominis peritoneo membrana exsudata tenui ac rara neque autem cum superficie uteri anteriori coniunctae iacebant. In regione quoque inguinali dextra, ubi semper dolores vehementissimi erant, adhaesiones quaedam recentes intestinorum cum abdominis peritoneo videri potuerunt. Ceterum peritoneum nihil contra normam praebuit, et parva tantum copia fluidi subrubri in cavum abdominis iniecta fuit.

Hepatis tegumentum sanum, substantia mollis ac fragilis. Vesica fellea magna, impleta, calculum magnitudine ovi columbarii et multos alios minores subflavos, tessalatos continens.

Ventriculus, duodenum et pars superior ieiuni materiam flavidam, fuscam, faecibus commixtam atque male olentem, ilium autem et colum passim faeces molles continebant. Membrama mucosa ventriculi, duodeni nec non ieiuni pallida, in colo tantum hic et illic partes quaedam sanguine iniectae inventae sunt.

Lien, renes et vesica urinaria sicut cetera abdominis organa nihil contra normam ostenderunt.

Intestinis remotis dimensiones pelvis supra partes molles integerrimas institutae haec:

Coniugata vera	2″	—	4‴
„ sinistri lateris	2″	—	1‴
„ dextri	2″		arcte.
Diameter transversa pelvis introitus	4″		arcte.
„ recta spatii minimi	2″	—	4‴
„ transversa	4″		arcte.
„ recta exitus	3″	—	3‴
„ transversa	4″	—	„
„ sacrocotyloidea dextra	2″	—	5‴
„ „ sinistra	3″	—	3‴

Epicrisis.

Quantum afficiat totum feminae organismum operatio sectionis caesareae quamque igitur periculosa sit, facile elucet ex historiis operationum, quas enarravi. Ut enim taceam de periculis, quibus expositae sunt feminae inter operationem ipsam, quod feminae, quibus superanda est sectio caesarea, debiles et sensibiles esse solent et prioribus temporibus morbis laboraverunt; quod ex multis operationis instituendae methodis, quae commendantur, optima quaeque eligenda; quod momentum maxime operationi propitium exspectetur et neque ante iustum tempus neque serius operemur, (id quod est magni momenti); quod operatio ipsa manu idonea instituatur; quod infans et placenta sine vi et distorsione ex utero removeatur;

quod omnia quae debent removeantur nec quidquam remaneat, quod vulnere ligato irritet uterum et prohibenda cicatricatione suppurationem pariat; quod denique vulnus secundum artem ligari debeat; ut igitur de his omnibus taceam periculis, quae in illis, quas enarravimus, operationibus vitabantur: alia adhuc emergunt operatione iam peracta in puerperio, quae maximi sunt momenti, a quibusque plurimis in casibus mors puerperae affertur, qualiaque in illis quoque operationibus inter optimas res exsternas intitutis atque curatis infelicem genuerunt eventum. Quae pericula in puerperia emergentia designare pro viribus nostris tentare volumus. Priusquam autem ad propositum transgrediamur, ne nimis videamur gloriati esse de rerum externarum in illis operationibus statu felici, pauca adhuc nobis facienda sunt verba de re tristi, quae in secundo casu eorum, quos enarravimus, evenit. Apparuit enim ex sectione particulam velamenti remansisse, quae inter labia vulneris uteri inventa est, id quod uteri cicatricationem impediebat. Sed iam primum hoc non tantum malum esse putamus; multi enim sunt medici obstetricii, qui totam placentam cum tota appendice in utero remanere iubent in partus negotio normali, ut naturam eam suppuratione expellat; quid non natura frustulum velamentorum sine damno matris expellere possit, quum genitalia eodem modo praeparata sint, ut in partus negotio normali? Sin autem infelici modo tale frustulum inter labia vulneris uteri remanet, periculum ante descriptum emergit; sed ne haec quidem culpa medici dici potest; vix enim utile potest haberi totum uterum manu perscrutari ac pervolvere, ne quid fortasse remaneat, quum ex eo ipso nova possent exoriri pericula et remedium malo peius foret.

Venimus nunc ad pericula, quae in puerperio operatione optimo modo iam peracta emergunt, quorum numerus tantus est, quantus eorum quae antecedunt, de quibus tamen removendis plerumque bonus eventus sectionis caesareae pendet, sed proh dolor! saepius remedia finem optatum non assequuntur et puerpera diem obiit supremum.

Primam causam, quae maximi est momenti, omnium periculosarum rerum, quae operatione instituta emergunt, nullam aliam nominare possumus, nisi summam dignitatem physiologicam, quam uterus graviditate accipit. Functio enim uteri usque ad graviditatem adhuc quasi dormientis inter graviditatem crescere incipit, ut grave munus ei impositum ad finem ducat; itaque non solum in toto suo ambitu crescit, i. e. reproductio uteri inter graviditatem non solum sensim sensimque adaugetur, verum etiam nervi ac vasa eius per hoc temporis spatium altiorem dignitatem accipiunt. Fibrae uteri antea vix semicirculares, ut ita dicam, hac periodo, quoad earum substantiam mutatae, actione vere musculari gaudent, ad extremum usque finem extenduntur, ut postea ad foetum expellendum fortiter contrahi possint; quam ob rem etiam nervi, qui utero inserviunt, ad maximam actionem perducuntur. Functione uteri crescente reliquorum organorum functio diminuitur et cava abdominis atque thoracis utero magis dilatato angustiora fiunt. Sed haec functio tamen organorum non tantum regreditur, ut uterus solus praevaleat. Sicut nunc laesio ventriculi, hepatis, cet. propter dignitatem physiologicam organi tam periculosa fit, ita etiam dissectio uteri gravidi symptomata periculosissima offert, quia, quod ad dignitatem physiologicam, illis organis graviditate adaequatus est. Quod laesio uteri ipsi gravidi neque ea

cavi abdominis, quod alii volunt, illa symptomata periculosa et plurimis in casibus mortem afferat, multi casus demonstrant, quibus abdomen cum variis rebus adversis patefactum et tamen servata est operata. Nonnullae historiae, quas enarratas inveni tam memorabiles sunt, ut sententiam, quam modo posuimus, probare possint. Ovarium degeneratum [1]), mirumque in modum expansum incisione abdominis, ad novem usque pollices dilatata, exstirpatum est. Inter operationem per 25 miuutas intestina prolapsa reponi non potuerant, mulier mox restituta. Alio casu **Iohn Lizars** ventrem incidit a cartilagine xiphoidea usque ad symphysin ossium pubis. Propter errorem in diagnosi morbi nihil exstirpatum est. Secutus est vomitus, nulla vero tympanitis. Aegrota, restituta est. Casus [2]) narratur, quo ingens vulnus a symphysi ossium pubis usque ad costas, cornu tauri inflictum, inter dierum tredecim spatium sanatum est. Baudelocque[3]) refert casum sectionis caesareae, quo quum prima incisio transversa supra umbilicum loco nimis alto facta esset, altera diagonalis huic addita est. Mulier nihilominus servata est.

Haec observationes satis demonstrant, maximum periculum in dissecando utero ponendum esse, cuius causa in sola dignitate uteri altiore physiologica quaerenda est; quum laesio uteri non gravidi facilius superetur.

Altera causa, quae bono eventui sectionis caesareae obstat, quaque femina pluribus in casibus periculum mortis subit, haud dubie in conditione corporis et animi sita est. Feminae operationem superandae plerumque, ut iam

1) v. Sibold's Journal. Bd. 5. Stück 2 p. 422.
2) **Rust's** Magazin Bd. 14. p. 93.
3) Art. d. Acchouch. VI. edit. tom. II. pg. 525.

dixi, debiles sunt corpore et sensibiles et vulgo morbis qui vel antecesserunt vel adhuc adsunt, ut rhachitide, osteomalacia, cet. valde debilitatae. Apud illas feminas hac conditione corporis periculum certe adaugetur, imprimis si tum demum operantur, quum dolores iam conquassantes, congestio humorum versus genitalia per longius temporis spatium durans, organa illa ad summum usque excitarunt et totum nervorum systema arripuerunt. Denique apud has feminas periculum adaugetur affectu animi, praecipue metu, ne diem obirent operatione supremum, qui metus haud dubie infelices illas parturientes feminas etiam magis debilitat. Quum res ita se habeat, certo non est mirum, si talis femina, operatione ipsa optime instituta et cura nullo modo neglecta, tamen succumbere debeat.

Haec deinde conditio corporis et animi etiam quoad causam periculi, quae nunc sequitur, ad inflammationem scilicet, maximi est momenti. Quum enim causae huius inflammationis scilicet: musculorum abdominis et quidem ut solet, tendineae eorum partis incisio, et ea uteri, hac periodo dignitate prae ceteris orgânis excellentis, et turgor vitalis ibi valde adauctus, eiusmodi sint, ut afferre possint inflammationem mere sthenicam: ea toto apparatu antiphlegistico facilius removeri posset; sed quum vires feminae omnino iam debilitatae sint, vulgo inflammatio exoriri solet, quae multo magis naturam erethicam secum fert, itaque multo periculosior est et aliam curam desiderat. Haec inflammatio erethica hac etiam re periculosior fit in puerperio, quod saepius medicum obstetricium fefellit, quum symptomata non statim operatione peracta, sed post aliquod tempus exoriantur, et operata antea bonam se sentiat, pulsus tantum parvus atque accelleratus et animi quaedam anxietas restent. Post ali-

quod temporis spatium signa eius inflammationis perniciem minantia exoriuntur et omnino haec sunt: oppressio in regione epigastrica et sub sterno, singultus, vomituriționes, vomitus materiae aquosae, acidae aut saepius biliosae, qui initio plerumque levamen affert, neque autem postea, quo tempore saepius atque magna vi intrat, et copia materiarum eiectarum multo maior est, quam quae in ventriculum ingestae fuerant. Pulsus fit frequens, parvus et animi conditio magis inquieta; sequitur meteorismus, saepe cum dolore ex tensione, sitis magna lingua impura, alvus pertinacissime obstructa, et clysmata vi quodam statim expelluntur, cetera. Quae omnia symptomata semper magis magisque adaugentur et sub vesperam graviora sunt, exoritur tussis, spiritum ducendi difficultas, nullus adest somnus, pulsus fit irregularis, vix sensibilis, crescit tympanitis ac vomitus, et puerpera blande moritur vel etiam, sed quod rarius accidit, conscientia illaesa. Saepius etiam morti symptomata affectionis cerebri et medullae spinalis antecedunt plerumque subito exorientia. Osiander[1]) nominat convulsiones, delirium, anxietatem, animi deliquia; v. Siebold[2]) susurrum aurium, gravedinem capitis, delirium, incontinentiam alvi et urinae, convulsiones, loquelam impeditam; Serveas[3]) vomitum iteratum, perpetua deliria, hilaritatem et loquacitatem, pulsum vix sensibilem, palpitationem cordis, magnam anxietatem: Kilian[4]) anxietatem, delirium blandum, alacritatem, postea saporem. Quibus ob-

---

1) Dessen Handb., Band 2. p. 318.
2) Dessen Journ. Band 1. Stück 2 p. 304.
3) v. Siebold's Journ. Band 2. Stück 3. p. 439.
4) Diss. auct. Küster. p. 13.

servationibus multas alias similes a **Michaeli**[1]), **Klein**[2]) **Iohanknecht**,[3]) et aliis addere possem, sed sufficiant, quas attuli. Quae symptomata satis demonstrant, quam perniciosa sit haec inflammatio, neque mirandum esse, si cura aptissima atque diligentissima tamen mortem impedire nequeat.

Effluxum deinde sanguinis e vagina etiam causam periculosam nominare possumus; nam quum plerumque sit copiosior et partim profluat ex uteri vulnere partim propter imperfectam eius contractionem: mulieribus, quae, ut supra iam dixi, debili constitutione laborant, atque praegressis morbis debilitatae sunt nihil aliud afferre potest, nisi periculum debilitate succumbendi, dum aliis feminis validae ac robustae constitutionis non solum damnum non afferret, sed fortasse utilitatem.

Causa quinta bono eventui sectionis caesareae in puerperio obstans sunt secretiones illae, quae ad normalem puerperii decursum tanti momenti sunt, quae rarissime autem, fortasse nunquam post operationem procedunt. Lochia, illae crises salutares puerperales, vel omnino deficiunt, quod inflammatio uteri eiusque gangrena exorta est. Interdum tamen, quamquam utero inflammato lochia adsunt, id quod nostris casibus vidimus, quodque etiam alii observaverunt, sed copia eorum minor, quam quae maiorem utilitatem afferre possent; et hac re periculum afferri, nemo dubitabit. Lactis deinde secretio vel plane deficit, vel mox desinit, et interdum modo post aliquod tempus regreditur viribus denuo restititis, quod **Kilian**[4]) observavit. Secretio denique cutis plerumque

1) v. **Siebold's** Lucina Bd. 5. Stück 1. pg. 109.

2) Loder's Journ. Bd. 2. St. 4. p. 756.

3) Abhandlung etc. der Gesellschaft z. Münster. B. 1. p. 374.

4) Diss. auct. v. **Ghemen**.

est irregularis. Sudor frigidus saepius statim post operationem occurrit, tenax atque viscosus mortem praecedit. Quantum cutis functio interdum prostrata sit, ex observationibus praecipue, quas Osiander[1]) enarrat, elucet, qui exanthema, quod antea multis locis adfuerat, post operationem statim evanuisse refert. Et tamen tam necessarium videtur puerperio, adesse sudorem, ut ullam unquam mulierem absque sudore restitutam esse dubitaverim, quod non aeque de lactis ac lochiorum secretione dici potuit. Hac re igitur, quod secretiones haesitant, quod sanguis ad eas partes, quo debeat, non pellatur, plethora tam periculosa abdominalis et per eam inflammatio adaugetur, dum haud dubie adauctio harum secretionum optime et facillime sanationem adiutura esset.

Postremo unius adhuc mentio est facienda periculi haud minimi eo exorientis, quod dignitate uteri physiologica per graviditatem prae ceteris organis tantopere adaucta eaque dignitate per sectionem caesaream repente quodam modo abscissa naturae non tempus datum est, ut ceteris organis dignitatem restituat iis debitam. Qua re facilius perturbationes organorum nobilium exoriuntur periculosissimae, ut cerebri, medullae spinalis, cet.

Tantum de his quidem periculis sectioni cesareae soli propriis. Sed et alia adhuc emergunt pericula in puerperio ex sectione caesarea, quae quidem etiam in aliis operationibus abdominis exoriri possunt, quae tamen sectio caesara aut celerius adducit aut maiora adhuc et graviora efficit. Primum hic numerandum nobis videtur periculum illud, quod exoritur ex repentina uteri evacuatione. Quum enim iam per se unaquaque subitanea evacuatio, quam universo corpori, tam organo antea ex-

---

1) Dessen Handbuch, Bd. 2. p. 339 u. 355.

tenso atque amplo quam periculosissima sit, maius adhuc fit periculum eo, quod nunquam evacuatio uteri tam repentina et praecipitata est, quam post sectionem caesaream. Periculum vero exstare maximum ex hac repentina uteri evacuatione, satis elucet, quum antea graviditate dignitas eius physiologica summe adaucta actioque eius ad summum excitata fuerit. Qua ex re sequitur, id quod observatum est a medicis, uterum quidem statim post operationem plerumque bene contractum paulo post autem a vi ipsi insita defectum esse, id quod interdum adeo prima facta incisione observaverunt auctores, e. gr. Henne,[1]) Velten[2]). Tum status uteri intrat, quem nominamus uteri atoniam, qua dolores etiamsi interdum redeunt, tamen tonica quaedam uteri contractio consistit, et symptomata vulgo similia sunt iis, quae post copiosam metrorrhagiam occurrunt, id quod haud dubie non sine summo periculo esse potest. De illa atonia atque inertia uteri per repentinam evacuationem provocata pendet fortasse ille post operationem status nervosus, excitatus, erethisticus, in puerperio tam periculosus.

Alterum deinde periculum, quod non sectioni caesareae soli proprium est, sed commune et ceteris operationibus, ubi incisio fit abdominis, id est, si res adversae, imprimis prolapsus intestinorum, vitari non possunt. Quas etiam in puerperio adhuc affectum facere, vix notandam est. Quamquam enim intestina ipsa reposita sunt, tamen quum iam antea ab aëre tacta ideoque irritata sint, hoc reponendo magis adhuc irritantur. Eo fit ut partium harum inflammatio iam aliunde exoriens magis fit intensa, unde exsudatio, concretio cum aliis partibus et alia adhuc mala gravissima facile gigni possunt.

---

1) v. Siebold's Journal. Bd. 7. St. 3. pg. 989.
2) Graefe's und Walthers Journ. Bd. 11. pg. 555.

Quantum denique ut sectio caesarea boni sit eventus, cura afferat post operationem, vix est, quod memoratu opus sit. Hic id tantum adiicere nobis liceat, in casibus quos supra enarravimus nil esse neglectum curae atque contra singula, quae emergebant, pericula remedia semper adhibita fuisse, quae aptissima atque efficacissima commendentur, id quod ex historiis cognoscere licet.

Vita.

Ego Laurentius Goergens, e pago Leudesdorf, natus sum patre Laurentio Goergens, iam ex decem annis morte mihi abrepto, et Elisabetha e gente Will, quam adhuc inter vivos me posse pio animo venerari maximi habeo. Fidem confiteor catholicam. Primum in schola, uti dicunt elementari, per septem annos institutus Gymnasium, quod directore Klein Confluentibus floret, petii, quod quum per septem annos atque sex menses frequentassem, morbo impeditus sum, quin studiis litterarum porro occumberem. Anno praeterlapso atque valetudine incolumi restituta almam hanc adii litterarum universitatem Fridericiam Guilelmiam Rhenanam, et examine abiturientium absoluto testimonio maturitatis instructus mense Decembri anni MDCCCXXXIV a rectore t. t. magnifico beato Näke in civium academicorum numerum receptus nomen dedi apud decanum t. t. facultatis theologiae catholicae spectatissimum Scholz, tum autem post annum et dimidium apud decanum t. t. facultatis gratiosae medicinae spectatissimum I. Ennemoser. Per sex annos hasce audivi praelectiones:

Historiam recentioris aevi apud cl. Loebell; selecta capita e Livio apud cl. Ritter; introductionem in libros veteris et novi testamenti, archaeologiam biblicam et psalterium apud cl. Scholz; logicen et psychologiam apud cl. v. Kalker; botanicen universalem apud cl. Treviranum; mineralogiam apud cl. Nöggerath; chemiam experimentalem, phytochemiam et zoochemiam apud cl. G. Bischof; physicen experimentalem apud cl. Plücker; zoologiam, zootomiam et mammalium historiam apud cl. Goldfuss.

Anatomiam generalem et specialem, anatomiam comparatam apud cl. Mayer et Weber; repetitorium anatomiae et situm viscerum apud cl. Weber; physiologiam apud cl. Mayer; encyclopaediam medicam et methodologiam, pathologiam generalem, semioticen apud cl. Naumann; pathologiam specialem atque anatomiam pathologicam apud cl. Albers; materiam medicam, doctrinam formulas concinandi, medicinam forensem, epizootias apud cl. Bischoff, therapiam generalem et specialem, anthropologiam, de educatione medici, de experientia, experimento et demorbis psychicis apud cl. Nasse; chirurgiam, anatomiam chirurgicam, de morbis oculorum, de operationibus chirurgicis instituendis, de fasciis applicandis apud cl. Wutzer; artem obstetriciam, de morbis infantum, de morbis uteri, de intsrumentis obstetriciis apud cl. Kilian.

Praeterea mihi duces fuere: Cll. Mayer et Weber in secandis cadaveribus; cl. Wutzer in clinico et policlinico chirurgico atque ophthalmiatrico auscultanti per annum et practicanti per annum; cl. Kilian in exercitationibus in phantoma instituendis, in clinico obstetricio auscultanti per dimidium annum, practicanti per annum; cl. Nasse in clinico propaedeutico per dimidium annum, in clinico et policlinico per annum et dimidium

Tum ab aegritudine denuo correptum ut valitudinem integram recuperem me domi detinui.

Quibus omnibus his viris praeclarissimis optime de me meritis gratias ago et semper quantum potero habebo.

Theses.

I.

Nulla, nisi adhibita auscultatione atque percussione, statuenda est diagnosis pectoris morborum.

II.

Morbus cordis nunquam sine complicatione.

III.

Medicus venenis non utitur

IV.

In curandis ulceribus dyscrasia maxime respicienda est.

V.

Empyematis in bronchum aperti operatio nunquam indicata.

VI.

Auscultatio in arte obstetricia magni est momenti.

VII.

In primiparis partus praematurus artificialis non est instituendus.